



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Disputationes De Deo Homine, Sive De Incarnatione Filii Dei

Hurtado de Mendoza, Pedro

Antverpiae, 1634

Sectio IV. Vtrùm de potentia communi potuerit Virgo mereri
maternitatem?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82720](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82720)

S. Thom.
q. 2. art. 11.

productus à secunda actione. Confirmatur. non meruit existentiam Christi simpliciter; sed secundum quid: ergo nec produxit. Probo consequentiam: quia ideo non meruit, quia Christus prius erat existens: sed similiter erat prius existens: ergo nec produxit.

§. 52. Hanc difficultatem attingi disp. 13. à §. 253. Ad argumentum, nego antecedens: fuit enim mater absolute, & perfectissime. Ad probationem, nego Mariam non effecisse, ut Christus existeret absolute: quia efficere ut aliquid sit absolute, est illud physicè attingere vera productione physica: quæ est productio absoluta sui termini: id autem quod absolute producit, fit absolute, & extrahitur extra causas efficienter per id, per quod producit. hic enim est effectus formalis physicus actionis, diuinitus ab illa inseparabilis: cum ergo Maria veram actionem adæquatam physicam attingeret physicè & immediate efficienter, effecit ut absolute Christus existeret.

§. 53. Ad confirmationem ex §. 51. nego consequentiam. Ad probationem, concedo Maiorem, & distingo Minorem: terminus ut productus per primam actionem est prius natura physica, quam secunda actio, nego Minorem; est prius natura morali, concedo Minorem, & nego consequentiam. Iam dixi disp. 8. Physicè à §. 127. omnem prioritatem perfectam naturæ includere duos conceptus: alter est, rem priorem posse concipi sine posteriori; secus hanc sine illa: alter est, priorem esse causam posterioris. Prioritas physica est per influxum physicum causæ in effectum: prioritas moralis est per moralem influxum. Christus ut existens per primam actionem non est causa physica actionis secundæ nec per se, nec per primam: imò prior actio non est prior ratione, quam secunda ex natura sua; sed per accidens ex Dei voluntate extrinseca: unde secunda ex natura sua non supponit primam; & physicè sunt comitantem naturam, quam ratione: at Christus moraliter est causa secundæ, quia eam impetrat suis meritis. Quia igitur Deus noluit habere voluntatem absolutam de secundâ, nisi prius videret Christum ut existentem per primam bene operantem: & primam voluit absolute independentem à secundâ ut præuisa; ideo in præuisione fuit altera prior.

§. 54. Hinc Maria non potuit absolute mereri existentiam Christi: quia hæc iam erat præuisa; & inseparabilis ab existentia meriti Mariani. quod principium habet in existentia Christi: ob quod Deus non potuit conferre nouum beneficium, nec exercere liberalitatem aut gratiam in danda existentia Christi; potuit tamen in danda secunda actione, quæ est separabilis à merito Mariæ, de qua ratione sæpius egi, maxime sect. 1. At physica productio non pendet à beneficiendi ratione, & liberalitate, quæ suum formalem effectum tribuit necessariò: sed tantum petit non esse natura sua pendentem ab alia actione, qua supponatur terminus productus; sed ut ipsa possit illum sola producere. hoc est de ratione causalitatis adæquatæ: cuius physicus conceptus non mutatur per influxum morales: quia illi sunt extrinseci.

§. 55. Inferitur hinc, Christum non esse causam moralem sui ipsius: quia eius substantia propterea non est præmium meriti Virginei: quia non est obiectum noui actus liberalitatis, aut remuneratio-

nis: quia non potest separari à meritis Virginis: sed nec est separabilis à suis meritis: ergo non potest esse illorum præmium: est autem præmium productio illa secunda.

§. 56. Obijcis, Quod est causa causæ est causa causati: ergo qui est causa moralis productionis, est moralis causa termini. Distinguo antecedens: in physicis trãseat, in moralibus, nego: quia in physicis non est alia ratio attingendi terminum, quam attingendo actionem: in moralibus est per diuersos actus voluntatis pertinentes ad liberalitatem. existente autem Christo, non inuenit Deus in eo nouum obiectum remunerationis; inuenit autem in eius productione non existente: quam amat, vel vno actu terminato ad illam solam: vel eodem amat etiam terminum, qui non habet rationem præmij ob iam dicta.

SECTIO III.

*Vtrum domina Maria meruerit condignè
maternitatem Christi?*

§. 57. **P**ars negans communis est apud Theologos, maxime verò recentes: S. Thomam art. 11. præcipue ad 3. Caietan. & alios Thomistas, Scotum, & Scoticos: P. Valentiam disp. 1. q. 2. p. 8. vers. *Ex condigno verò*: P. Suarez disp. 10. sect. 7. vers. *Dico tertio*: P. Valquez disp. 23. c. 2. & alios. Quam adeo eorum alij existimant, ut oppositæ censuram inurant; sed immerito. est enim probabilis licet non tantum, quantum hæc; ut rectè monet P. Suarez vers. *Sed quærit*.

§. 58. Prætermisissis alijs rationibus examinandis sect. 5. hæc est bona: Merita Mariana non merent simul, nec possunt, condignè totam gratiam & gloriam illis ex natura rei respondentem, & dignitatem matris: sed merita Mariana meruerunt condignè eam gratiam & gloriam: ergo de facto non meruerunt condignè maternitatem, nec potuerunt ex ea suppositione. Minor est certa: omnia enim opera moraliter bona & supernaturalia exercita à Virgine meruere condignè totam gratiam, quam in alio mererentur: quia non fuere in Virgine minoris momenti; & ipsa fuit capax eius augmenti, habetque totam gratiam & gloriam per merita propria. Dico gratiam secundum eum gradum, qui non fuit primum principium meriti, ei datam ob merita condigna. de quo nullus potest dubitare. Maior patet: quia merita Virginea sunt finito valore; cui fit satis incremento gratiæ & gloriæ illi respondentium: cum ergo maternitas Christi tantæ sit dignitatis; merita Virginea non possunt illi æquari simul cum toto præmio condigno. Nec in oppositum est, quod vrgeat: quia locutiones sunt explicandæ de condignitate personæ, non verò de condignitate meritorum. nec Bonauentura est explicatu difficilis, ut constabit ex §. 69.

SECTIO IV.

*Vtrum de potentia communi potuerit Virgo
mereri maternitatem?*

§. 59. **P**ars negatiua communior est & probabilior. quam probo: merita personæ finitè
gratiæ

gratæ petunt ex natura sua pro præmio augmentum gratiæ & gloriæ: sed merita Virginis sunt personæ finitè gratæ: ergo petunt pro præmio augmentum gratiæ & gloriæ. Maior constat tum ab exemplo omnium eiusmodi personarum, quibus pro præmio est augmentum gratiæ & gloriæ. tum à priori: quia merita sunt actus amici: oriuntur enim à principio filio adoptiuo Dei: sed actus amicitiae petunt ex natura sua augmentum amicitiae & communicationis honorum: ergo. Minor probatur: quia actus illi reddunt personam magis charam Deo: & quo magis Deo placent, eum alliciunt ad beneficentiam: prima autem est incrementum amicitiae. sic apud nos etiam contingit: primò enim in nos allectamur amicos per obsequia, & exercitium amicitiae: tandem quia gratia, & opera respiciunt operantem potius quam alios.

SECTIO V.

Vtrum de potentia absoluta potuerit Virgo maternitatem condignè mereri?

SUBSECTIO I.

Pars negans quorum sit?

§. 60. **N**on potuisse Mariam mereri condignè maternitatem Christi, testantur P. Vasquez disp. 23. num. 14. sine, & alij recentes. Fundamentum primum est: quia nullum opus est condignum præmio ex acceptatione extrinseca Dei, aut relatione operantis; sed ex sua intrinseca dignitate: sed merita Mariæ nõ sunt digna maternitate Christi ex intrinseca sua dignitate: ergo non possunt esse digna. Minor probatur. Primum, quia merita Mariæ sunt eiusdem rationis substantialis cum meritis aliorum iustorum, licet in gradu omnium excellentissimo: ergo non sunt digna nisi eodem præmio quoad substantiam, licet excellentissimo: at opera aliorum iustorum non possunt esse digna maternitate Christi: ergo nec merita Virginis. Minor probatur, quia alioquin omnes Sanctæ mereri possent condignè maternitatem Christi.

§. 61. Secundò probatur, quia merita puræ creaturæ non sunt apta natura sua nisi ad condignū incrementum gratiæ & gloriæ; ad quod sunt semen, & dicunt ordinem connaturalem: ergo.

§. 62. Vnde deducunt, nullam puram creaturam posse mereri alijs condignè gratiam, remissionem peccati, redemptionem, & alia.

§. 63. Hæc ratio non vrget: Primum, quia ostendi disputans de merito, posse diuinitus puram creaturam mereri alijs incrementum gratiæ, & interdum primam gratiam condignè. quod probabo disp. 52. §. 35. tum quia licet id non possent, potest aliquis sibi mereri condignè alia præter gratiam, & gloriam; licet non possit alijs. non est ergo questio, vtrum alijs, sed vtrum sibi mereri possit maternitatem?

§. 64. Abstineo nunc ab ea questione, vtrum pactum pertineat ad valorem meritum? & de P. Vasquez partem negantem. Dico in operibus Marianis inesse valorem condignum ad alia præmia distincta à gratia & gloria: oportere quæ examinare vtrum & ad maternitatem? quia valor confide-

Petr. Hurtado de Mendoza de Incarn. pars I.

randus est ex intrinseca operum bonitate morali, *s. Thom.* & dignitate personæ operantis. quòd si persona vt *q. 2. art. 14.* operans offert aliquid tantæ æstimationis, quantæ est præmium, offert valorem condignum: quia & æqualem: pactum autem non exigo ad hanc condignitatem; sed ad ineundum contractum, vt Deus det reipsa præmium pro opere infallibiliter.

§. 65. Quod explico Primum ab humanis: centum ducatus sunt præmium condignum equi absque vilo pacto; ad quod non egent promissione, aut acceptatione: qui enim equum rectè cognouerit, dicit iustum pro illo pretium esse centum ducatus. At non propterea mihi dabitur equus, licet eo ego offeram pro equo: quia dominus non vult eum vendere. est igitur pactum necessarium ad ineundum contractum, & dandum equum; non ad supplementum valoris. item mea diurna opera in vinea est digna denario: at non propterea eum impetrabo absque contractu aut formali, aut virtuali. In Christo idem ostendo; cuius opera habent esse valorem condignum ad impetranda omnibus hominibus auxilia efficacia ad numquam peccandum, & ad extrahendos omnes ab inferis: at reipsa ea præmia non dantur: quod Deus non pepigit cum Christo, nec ad id eius opera accepit: ergo præter condignitatem operum exigitur pactum, aut promissio; etiam ad præmia congrua.

§. 66. Quo differunt extrinseca præmia ab augmento gratiæ & gloriæ; quod dari potest absque pacto: quia Deus pro omni merito condigno dat præmium: dum autem operans nihil aliud paciscitur, datur augmentum illud; tum quia est connaturale; tum quia cedit in maius commodum operantis, de quo est inter illum & Deum pactio interpretatiua.

§. 67. Ad argumentum ex §. 60. nego Maiorem, id est, non satis probatur: eam quæ nego, vt ponitur ab auctore: quia inferius examinabo, vtrum merita Virginis æstimentur tanti, quanti maternitas Christi. Ad probationem, concedo merita Mariæ esse eiusdem rationis in substantia cum meritis aliorum iustorum, & esse capacia eiusdem omnino præmij quoad substantiam. Ad probationem, nego Minorem: quia omnia opera iustorum possunt tantum crescere, vt mereantur alia præmia extrinseca de condigno, & eadem omnino, quæ Maria. vtrum autem ea omnia tanti æstimentur, quanti maternitas Christi; infra disquiram. Ad probationem responderetur, de facto nullam mulierem habuisse merita æqualia Marianis: at potuit habere, & mereri quod hæc. Nec infertur, omnes mulieres meruisse maternitatem condignè: quia nec Maria eam meruit: quia data sunt illis alia præmia condigna, vt non meruerunt de congruo: quia Deus statuit non moueri illarum meritis ad id præmium; decreuit autem moueri Marianis, si exercerentur. Potentia igitur ad merendum eadem est in omnibus, quia potuerunt æquali sanctitate donari: actu autem nulla meruit maternitatem condignè, de congruo sola Maria.

§. 68. Ad Secundum ex §. 61. concedo antecedens de aptitudine positiua naturali: quia opera magis tendunt ad perficiendum operans, quam ad alia præmia: at habent non repugnantiam, vt offerantur pro alijs præmij, ad quæ habent condignitatem, & æqualem æstimationem. Ad corollarium ex §. 62. respondeo remissionem peccati mortalis

X æsti-